

## THE DISCIPLINE OF MANLIUS TORQUATUS, 340 B.C. (8.5-7)

The Latins, agitating for a larger role in the Latin Confederation, send an embassy to Rome in an attempt to lessen Roman dominance.

1 [5] Ubi est Romam ventum, in Capitolio eis senatus datus est. Ibi cum T.  
2 Manlius consul egisset cum eis ex auctoritate patrum ne Samnitibus  
3 foederatis bellum inferrent, Annius, tamquam victor armis Capitolium  
4 cepisset, non legatus iure gentium tutus loqueretur:

5 “Tempus erat” inquit, “T. Manli vosque patres conscripti, tandem iam vos  
6 nobiscum nihil pro imperio agere, cum florentissimum deum benignitate  
7 [nunc] Latium armis virisque, Samnitibus bello victis, Sidicinis  
8 Campanisque sociis, nunc etiam Volscis adiunctis, videretis; colonias  
9 quoque vestras Latinum Romano praetulisse imperium. Sed quoniam vos  
10 regno impotenti finem ut imponatis non inducitis in animum, nos,  
11 quamquam armis possumus adserere Latium in libertatem, consanguinitati  
12 tamen hoc dabimus ut condiciones pacis feramus aequas utrisque, quoniam  
13 vires quoque aequari dis immortalibus placuit. Consulem alterum Roma,  
14 alterum ex Latio creari oportet, senatus partem aequam ex utraque gente  
15 esse, unum populum, unam rem publicam fieri; et ut imperii eadem sedes sit  
16 idemque omnibus nomen, quoniam ab altera utra parte concedi necesse est,  
17 quod utrisque bene vertat, sit haec sane patria potior et Romani omnes  
18 vocemur’.

19 Forte ita accidit, ut parem ferociae huius et Romani consulem T. Manlium  
20 haberent, qui adeo non tenuit iram ut, si tanta dementia patres conscriptos  
21 cepisset ut ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum in senatum  
22 venturum se esse palam diceret et quemcumque in curia Latinum vidisset

23 sua manu interempturum. Et conuersus ad simulacrum Iouis, “audi,  
24 Iuppiter, haec scelera” inquit; “audite, Ius Fasque. Peregrinos consules et  
25 peregrinum senatum in tuo, Iuppiter, augurato templo captus atque ipse  
26 oppressus visurus es? Haecine foedera Tullus, Romanus rex, cum Albanis,  
27 patribus vestris, Latini, haec L. Tarquinius uobiscum postea fecit? Non venit  
28 in mentem pugna apud Regillum lacum? Adeo et cladium veterum  
29 uestrarum et beneficiorum nostrorum erga vos obliti estis?”

30 [6] Cum consulis vocem subsecuta patrum indignatio esset, proditur  
31 memoriae aduersus crebram implorationem deum, quos testes foederum  
32 saepius invocabant consules, vocem Anni spernentis numina Iouis Romani  
33 auditam. Certe, cum commotus ira se a vestibulo templi citato gradu  
34 proriperet, lapsus per gradus capite graviter offenso impactus imo ita est  
35 saxo ut sopiretur. Exanimatum auctores quoniam non omnes sunt, mihi  
36 quoque in incerto relictum sit, sicut inter foederum ruptorum testationem  
37 ingenti fragore caeli procellam effusam; nam et uera esse et apte ad  
38 repraesentandam iram deum ficta possunt. Torquatus missus ab senatu ad  
39 dimittendos legatos, cum iacentem Annum uidisset, exclamat, ita ut populo  
40 patribusque audita vox pariter sit: “Bene habet; di pium movere bellum. Est  
41 caeleste numen; es, magne Iuppiter; haud frustra te patrem deum hominum  
42 hac sede sacrauimus. Quid cessatis, Quirites vosque patres conscripti, arma  
43 capere deis ducibus? Sic stratas legiones Latinorum dabo, quemadmodum  
44 legatum iacentem videtis.” Adsensu populi excepta vox consulis tantum  
45 ardoris animis fecit ut legatos proficiscentes cura magistratum magis, qui  
46 iussu consulis prosequerentur, quam ius gentium ab ira impetuque hominum  
47 tegeter.

48 Consensit et senatus bellum; consulesque duobus scriptis exercitibus per  
49 Marsos Paelignosque profecti adiuncto Samnitium exercitu ad Capuam, quo  
50 iam Latini sociique conuenerant, castra locant. Ibi in quiete utrique consuli  
51 eadem dicitur uisa species uiri maioris quam pro humano habitu  
52 augustiorisque, dicentis ex una acie imperatorem, ex altera exercitum Deis  
53 Manibus Matrique Terrae deberi; utrius exercitus imperator legiones  
54 hostium superque eas se devovisset, eius populi partisque victoriam fore.  
55 Hos ubi nocturnos visus inter se consules contulerunt, placuit averruncandae  
56 deum irae victimas caedi; simul ut, si extis eadem quae in somnio visa  
57 fuerant portenderentur, alter uter consulum fata impleret. Ubi responsa  
58 haruspicum insidenti iam animo tacitae religioni congruerunt, tum adhibitis  
59 legatis tribunisque et imperiis deum propalam expositis, ne mors voluntaria  
60 consulis exercitum in acie terreret, comparant inter se ut, ab utra parte cedere  
61 Romanus exercitus coepisset, inde se consul devoveret pro populo Romano  
62 Quiritibusque. Agitatum etiam in consilio est ut, si quando unquam severo  
63 ullum imperio bellum administratum esset, tunc utique disciplina militaris ad  
64 priscos redigeretur mores. Curam acuebat quod adversus Latinos bellandum  
65 erat, lingua, moribus, armorum genere, institutis ante omnia militaribus  
66 congruentes: milites militibus, centurionibus centuriones, tribuni tribunis  
67 compares collegaeque iisdem in praesidiis, saepe iisdem manipulis permixti  
68 fuerant. Per haec ne quo errore milites caperentur, edicunt consules ne quis  
69 extra ordinem in hostem pugnaret.

70 [7] Forte inter ceteros turmarum praefectos qui exploratum in omnes partes  
71 dimissi erant, T. Manlius consulis filius super castra hostium cum suis  
72 turmalibus evasit, ita ut vix teli iactu ab statione proxima abesset. Ibi  
73 Tusculani erant equites; praeerat Geminus Maecius, uir cum genere inter

74 suos tum factis clarus. Is ubi Romanos equites insignemque inter eos  
75 praecedentem consulis filium — nam omnes inter se, utique illustres viri,  
76 noti erant — cognovit, “unane” ait “turma Romani cum Latinis sociisque  
77 bellum gesturi estis? Quid interea consules, quid duo exercitus consulares  
78 agent?” “Aderunt in tempore,” Manlius inquit, “et cum illis aderit Iuppiter  
79 ipse, foederum a uobis violatorum testis, qui plus potest polletque. Si ad  
80 Regillum lacum ad satietatem vestram pugnavimus, hic quoque efficiemus  
81 profecto ne nimis acies uobis et conlata signa nobiscum cordi sint.”

82 Ad ea Geminus paulum ab suis equo proeuctus: “Visne igitur, dum dies ista  
83 venit qua magno conatu exercitus moveatis, interea tu ipse congredi mecum,  
84 ut nostro duorum iam hinc eventu cernatur quantum eques Latinus Romano  
85 praestet?” Movet ferocem animum iuvenis seu ira seu detractandi certaminis  
86 pudor seu inexsuperabilis vis fati. Oblitus itaque imperii patrii consulumque  
87 edicti, praeceps ad id certamen agitur, quo vinceret an vinceretur haud  
88 multum interesset. Equitibus ceteris velut ad spectaculum submotis, spatio,  
89 quod vacui interiacebat campi, adversos concitant equos; et cum infestis  
90 cuspidibus concurrissent, Manli cuspidis super galeam hostis, Maeci trans  
91 cervicem equi elapsa est. Circumactis deinde equis, cum prior ad iterandum  
92 ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. Ad cuius  
93 volneris sensum cum equus prioribus pedibus erectis magna vi caput  
94 quateret, excussit equitem, quem cuspide parmaque innixum attollentem se  
95 ab gravi casu Manlius ab iugulo, ita ut per costas ferrum emereret, terrae  
96 adfixit; spoliisque lectis ad suos revectus cum ovante gaudio turma in castra  
97 atque inde ad praetorium ad patrem tendit, ignarus fati futurique, laus an  
98 poena merita esset. “Ut me omnes,” inquit, “pater, tuo sanguine ortum vere  
99 ferrent, provocatus equestria haec spolia capta ex hoste caeso porto.”

100 Quod ubi audivit consul, extemplo filium auersatus contionem classico  
101 advocari iussit. Quae ubi frequens convenit, “quandoque,” inquit, “tu, T.  
102 Manli, neque imperium consulare neque maiestatem patriam veritus,  
103 adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti et, quantum in  
104 te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti  
105 meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut rei publicae mihi aut mei  
106 obliviscendum sit, nos potius nostro delicto plectemur quam res publica  
107 tanto suo damno nostra peccata luat. Triste exemplum sed in posterum  
108 salubre iuventuti erimus. Me quidem cum ingenita caritas liberum tum  
109 specimen istud virtutis deceptum vana imagine decoris in te movet; sed cum  
110 aut morte tua sancienda sint consulum imperia aut impunitate in perpetuum  
111 abroganda, nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare  
112 censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam poena restituas —  
113 i, lictor, deliga ad palum”.

114 Exanimati omnes tam atroci imperio nec aliter quam in se quisque  
115 destrictam cernentes securem metu magis quam modestia quievere. Itaque  
116 velut demerso ab admiratione animo cum silentio defixi stetissent, repente,  
117 postquam cervice caesa fusus est cruor, tam libero conquestu coortae voces  
118 sunt, ut neque lamentis neque exsecrationibus parceretur spoliisque  
119 contectum iuvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum  
120 concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremaretur, Manlianaque  
121 imperia non in praesentia modo horrenda sed exempli etiam tristic in  
122 posterum essent.